



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Art.IV. De Attributis Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

ARTICULUS III.

De Natura DEI.

Q. 1. In quo predicato consistat Natura DEI? *R.* cum communiore sententia, eam in predicato *Intellectivo* a se consistere; quia Intellectio est præcipua DEI operatio, a se quæ est origo omnium Decretorum atque Processionum ad intra, quæ quam etiam Verbum in similitudinem Naturæ potissimum procedere dicitur.

Q. 2. An Natura DEI virtualiter distinguatur à Personis? *R.* etsi talem distinctionem negent Gratianus & alii, communiter tamen eam concedi ab aliis Theologis, quod quod Natura & Paternitas v. g. in uno tertio distinguuntur, scilicet in Filiatione, cum qua Natura per suam identificationem communicatur; Paternitas verò realiter ab ea distinguitur; cum ergo hæc distinctio maior sit, quam ratio nis ratiocinata, & strictè realis dici non queat, saltem virtualis dici debet.

ARTICULUS IV.

De Attributis DEI.

Pro meliori intellectu dicendorum in hoc articulo notandum est attributa aliqua de DEO *proprie*, alia *Metaphorice* duntaxat prædicari. *Proprie* prædicantur perfectiones, quas habere melius est, quam oppositum illatum, quæ propterea à Theologis perfectiones simpliciter simplices vocantur; *Metaphorice* seu improprie prædicantur, quæ in conceptu suo imperfectionem aliquam involvunt, quales sunt dolor, ira, & similes; hæ enim non nisi demptis imperfectionibus per hæc vocabula significatis DEO convenire possunt. Præterea sumuntur Attributa variis modis, ut videre est apud Tann. q. 2. du. 1. 1. Latissimè pro omni predicato, quod DEO attribui potest. 2. Minus latè pro omni eo predicato, quod DEO ut unus est, convenit, & ipsam essentiam quam radicem subsequi concipitur; quo pacto sola prædicata absoluta, & non relativa includuntur. 3. Strictè pro solis prædicatis, quæ positivam perfectionem includunt.

Idem attributa positiva vocantur, qualia sunt esse bonum, sapientem &c. non item negativa attributa, quæ non nisi per negationem formalem exprimi possunt. Hoc loco autem attributa in secundo potissimum sensu accipiuntur; de quibus sequentes quaestiones proponuntur à Theologis.

Q. 1. *Quanam sint attributa positiva Dei?* Resp. sequentia ferè tum à S. Thoma, tum ab aliis Authoribus, ut videre est apud Lessium de perf. div. ei attribui. 1. Quòd sit *summè perfectus*, id est, omnes omnium rerum possibilium perfectiones formaliter, vel eminenter continens; alioquin illas producere in creaturis non posset. 2. Quòd sit *summè bonus* non tantum bonitate transcendentali (hæc enim eadem est cum perfectione Dei) sed appetibili etiam, in quantum scilicet continet id omne, quod à creatura rationali appeti aut desiderari potest. 3. Quòd sit *summè sanctus* (quæ sanctitas ab Authoribus bonitas moralis appellatur) ut quod infinitam morum perfectionem contineat, idèoque iustitias & beneplacitum illius sit regula omnis honestatis. 4. Quòd sit *summè sapiens*; eò quòd omnia cognoscat, & sciat per supremas causas, nimirum per cognitionem essentiali, quæ est omnium rerum suprema causa efficiens finalis, & exemplaris. 5. Quòd sit *summè potens*, id est, efficere possit, quicquid contradictionem non involuit; unde, teste Lessio l. 5. c. 1. plus quàm septuaginta locis in S. Scriptura omnipotens vocatur. 6. Quòd sit *summè verax*, id est, falli non possit in cognitione objectorum; nec fallere in revelatione eorumdem; unde hæc veracitas est fundamentum fidei nostræ. 7. Quòd sit *summè misericors*; eò quòd sicut est vias omnis felicitatis, ita & miseræ omnis, quæ non nisi collatione boni tollitur, peremptor & exterminator sit, ut Lessius l. 1. c. 2. loquitur hinc, teste Psalmista Ps. 32. *Misericordia Domini plena est terra.* 8. Quòd sit *summè iustus*; id est, retribuens cuique juxta meritum suum; unde Tobias c. 3. dixit: *Iustus es, Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt.* 9. Quòd sit *summè benignus*; id est, summè propensus ad bonitatem suam omnibus creaturis pro eujusque capacitate communicandam.

Q. 2. *Qua sint attributa negativa Dei?* Resp. sequentia ferè illi attribui. 1. Quòd sit *simplex*, id est, omnem

compositionem ex partibus excludens. 2. Quòd sit *unus*, id est, in plures Deos indivisus, seu immultiplicabilis; alioqui enim non haberet plenum Dominium ab alio independentens. 3. Quòd sit *Increatus*, id est, à nullo alio factus, sed à seipso existens. 4. Quòd sit *Incorporeus*; cum corporea substantia necessario plurimas imperfectiones involvat, omnis autem imperfectio Deo repugnet. 5. Quòd sit *apertius*, id est, omni termino extrinseco carens, ita ut neque excogitabile sit ens perfectius illo. 6. Quòd sit *Immutabilis*, id est, in omni spatio imaginabili existat, hinc 2. Paral. 16. dicitur: *Caeli caelorum te non capiunt*. 7. Quòd sit *Immutabilis*, non physicè duntaxat (id est, ut à parte rei se alter habere non possit uno tempore, quàm alio se habuerit), sed etiam moraliter, ita ut ex animi inconstantia aliud velle non possit, quàm quod semel decrevit. Hinc ipsemet Metach. 3. dixit: *Ego Dominus, & non mutor*. 8. Quòd sit *Aeternus*, id est, omni tempore excogitabili existens; enim essentia Entis à se requirit, ut nullum scilicet tempus assignari queat, quo inceperit esse. 9. Quòd sit *Incomprehensibilis*, id est, à nullo Intellectu creato sit cognoscibilis, ut nihil lateat videntem, cum nulla vis cognoscendi finem infinitam cognoscibilitatem exhaurire possit. 10. Quòd sit *Invisibilis*, id est, à nulla creatura Intellectuali solis naturæ viribus intuitivè cognoscibilis. Unde à S. Paulo 1. ad Tim. c. 6. Lucem inaccessibilem habitare dicitur, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest. 11. Quòd sit *Ineffabilis*; id est, nullo nomine quidditative significari possit; cum enim nemo ordinariâ viâ eum intuitivè cognoscere possit, hoc ipso etiam nomen ad exprimendam clarè alius quidditatem invenire non potest.

Q. 3. *An & quomodo attributa inter se distinguantur?*
 Resp. etsi à parte rei omnia DEI Attributa identificentur, & de se mutuo prædicari possint; formaliter tamen, & quoad nostrum, modum concipiendi rectius distincta dicuntur, quòd æquivalent pluribus perfectionibus distinctis, quæ in creaturis reperiuntur. Hinc rectè formantur similes propositiones: *Sapientia DEI formaliter non est Iustitia.*